

www.e-rara.ch

**Henrichi Loriti Glareani, patricii Claronensis apud Helvetios, in omneis,
quae quidem extant, T. Livii Patavini clarissimi historici decadas,
annotationes**

Glareanus, Henricus Loriti

Basileae, 1540

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-655>

Breve compendium Romanae historiae ab urbe condita ad I Livii tempora

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

BREVE COMPENDIUM ROMANAE

HISTORIAE AB VRBE CONDITA AD

LIVII TEMPORA.



ROMANORVM historia septingentorū quinquaginta annorū ab Vrbe condita ad IESV CHRISTI natalem, qui fuit Augusti imperij, quo solus regnavit, annus uicesimus nonus, à Liuiō descripta est decadibus quatuordecim, hoc est, libris centum quadraginta: de quibus nostra hac ætate quatuor non integræ extant, utinam aliæ aliquando in lucem prodeant, nam eas alicubi in Germania delitescere aiunt. Prima decas septem habet reges Romanos, deinde COSS. Tribunos pleb. Decēuiros, Tribunos mil. conf. potestate, ac rursus COSS. bella uaria aduersus Latinos, Hernicos, Equos, Volscos, Veientes, Sabinos, Faliscos, Fidenates, Hetruscos, Campanos, Appulos, Lucanos, Samnites, ac alios nonnullos Italiae populos, inter quæ & obsidio à regibus per Porsenam, & Urbis euersio sub Gallis præter Capitolium, annos omnino ab Vrbe condita 460. Secunda decas nō extat, in qua erat historia ab Æsculapio Romam aduecto, ad initium usque secundi belli Punici. Ea autem tria atrocissima bella continebat. Primum cum Pyrrho Epirotarū rege, qui Tarentinis auxilio fuit contra Romanos. Secundum cum Carthaginensibus, quod per uigintiquatuor durauit annos, uocatumq; est primū bellum Punicum. Tertium cum Gallis (quos magis quàm ullam gentem toto terrarum orbe timuerunt, ut autor est Sallustius ad finem Iugurthini belli) quo bello delectus fuit Italiae, nunciato Gallico tumultu, teste Plinio libro 3. cap. 20. equitum octoginta millium, peditum septingentorum millium, anno ab Vrbe condita 535. qui proximus fuit ante secundum bellum Punicum. Anni totius decados 75. Tertia decas continet secundum bellum Punicum, quod Carthaginenses duce Hannibale aduersus populum Rom. gessere, annis 18. Quarta postremo, tum bellum Macedonicū aduersus Philippum, tum Asiaticum contra Antiochum, earū utrunq; prouinciarū reges, unde bella nomina sumpsere, complectitur, annos circiter 23. Quintæ decados libri quinq; nuper inuenti sunt, sed mutili, in quibus bellum cum Perseo Macedonū rege Philippi filio fuit, quem Paulus Aemylus & uicit & cepit. L. FLO-
RVS autem secunda epitome, populum Rom. ut hominem cōsiderat, totamq; ætatem eius percenset, ut cceperit, ut adoleuerit, ut quasi ad quendam iuuentæ florem peruenerit, ut postea uelut consenuerit. Quatuor eius gradus facit, non rotundo omnino numero. Nam totū tempus à Romulo in Cæsarem Augustum scribit septingentorū annorū. Primā autem populū Rom. ætatem, quam uelut infantia pingit, sub regibus fuisse ait, propè CCL. per annos. Liuius ac Dionysius aiunt per annos CCXLIII. Sequentem ætatem, uelut adolescentiā, annos habere

cc. à Bruto Collatinoq; coss. in App. Claudium, Quintumq; Fulvium coss. Nos eam ccxlv. supputamus annis. Tertiam hinc, id est, à primo Punico bello ad Cæsarem Augustum, ccl. annis, qui octavus est Augusti imperij, quo solus regnavit. Hanc iuventam uocat, & quasi quandam robustam maturitatem. Reliquam ætatem uocat senectam, ad sua usq; tempora, quãdo Traianus regnavit, annos ducentos: quanquam is numerus mihi suspectus, si Eusebij Chronicis credimus. Sed ea à Liuiò intacta fuit, exceptis aliquot sub Augusto annis. Nostra ætas ut nunc illud regnum uocare uelit, nescio: excedit enim duas Mithusalem ætates.

RATIO TEMPORVM EORVM QVAE PRIMO LIBRO CONTINENTVR APVD LIVIVM.



Troia capta ad Lauinium conditū, duo sunt anni. A condito Lauinio ad Albam longam conditam, anni xxx. Ab eadem ad Urbem Rom. conditam, anni quadringenti. Ergo à Troia capta ad Urbem conditam anni sunt quadringenti trigintaduo, autore Dionysio Halicar. apud quem tamen in plurimis, quos nos uidimus, codicibus numeri male habebant. Post conditã autem Urbem septem reges annis ducentis quadragintaquatuor regnarunt: quibus eiectis, coss. ac alij magistratus Urbem liberam rexerunt annos quadringentos sexagintaduos, ad Iulium usq; Cæsarem, qui primus repub. euerfa solus singulare obtinuit imperiū. A Troia igitur capta usq; ad coss. fuere anni sexcenti septuagintasex, quot annos Liuius libro primo complexus est, sed nimis succinctè. Ea omnia Dionysius libris quatuor exhibuit diligentissimè iuxta atq; doctissimè.